MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80195-5

AUTHOR:

KAISER, PAUL

TITLE:

DE FONTIBUS VELLEI PETERCULI, SCRIPSIT...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1884

Master Negative #

91-80195-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kaiser, Paul.
De fontibus Vellei Paterculi, scripsit Paulus Kaiser. Berolini, Apud Mayerum, 1884.
47 p. 22 cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/20/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE FONTIBUS
VELLEI PATERCULI

SCRIPSIT

PAULUS KAISER

BEROLINI
APUD MAYERUM ET MUELLERUM
MDCCCLXXXIV

MATRI CARISSIMAE

S

De fontibus Vellei Paterculi quaestionem facere cum nobis proposuerimus, prorsus non credimus ad fidem eius, qua de fide huius aetatis viri docti abunde disseruerint, clarius perspiciendam vel ad libri eius lectionem restituendam novi aliquid nos allaturos esse. Tamen non dubitamus ea proferre, quae Vellei studio occupati animadvertimus de ratione qua usus sit fontibus. Ita enim non solum quibus potissimum studiis vacaverit atque qualem eruditionem sibi comparaverit, verum etiam quali ingenio narrationes et sententias, quas e fontibus desumpsit, vel imitatus sit vel commutaverit cognoscere licebit. Quae cum ita sint, consentaneum est in hac quaestione res, quae ad rerum memoriam et lectionem emendandam spectant, paucis modo attingentes ea potius nos respecturos atque disserturos esse, quae, cum fontium eius delectum et usum adumbrent, indolem atque ingenium scriptoris perspicuum nobis faciant.

Quae huc usque homines docti de fontibus Vellei disseruerunt perpauca sunt. Primus, postquam Ruhnkenius in commentario editionis quos Velleio fontes fuisse suspicaretur adscripsit, praefatus est de fontibus Krausius in prolegg. ad editionem p. 44. Sequitur Sauppius in praeclara de Velleio Paterculo dissertatione inserta *Museo Helvetico* I (1837) p. 178 ss. Tum Kritzius de eadem re disseruit in prolegg. ad editionem suam p. XXXVIII ss., Koehlerus in dissertatione Gottingensi (1861) *qua ratione T. Livii annalibus usi sint historici Latini atque Graeci* p. 10 ss., Pernices

in commentatione *de Vellei fide historica* (Lps. 1862) p. 12 ss., Reichavius in dissert. *de fontium delectu, quem in Tiberii vita moribusque describendis Velleius Tacitus Suetonius Dio habuerunt* (Regimont. 1865) p. 7, C. de Oppen in diss. de *M. Velleio Paterculo* (Rostochii 1875) p. 6, denique Georges in diss. *de elocutione Vellei* (Lps. 1877) p. 6 ss.

In Vellei locis adscribendis Halmii editionem secutus sum eiusdemque compendiis P (ed. Rhenani) A (apographum Amerbachii) M (collatio Burerii) usus sum.

I.

Velleius ipse perpauca de fontibus suis tradit, sive plura in partibus libri primi deperditis commemoravit, sive operae pretium non esse putavit. Memorat enim Catonis *origines* (1,7,3) Hortensiique *annales* (2,16,3) praetereaque nonnumquam se ipsum ea, quae narrat, vidisse testatur (2,101,2. 104,3. 107,1. 106,1. 111,3. 113 extr. 121,3).

Tamen pluribus eum usum esse cum toto libri tenore elucet tum viri docti iam ostenderunt. Quos, ut praetermittamus Krausium, qui omnibus fere scriptoribus[1]) Velleium usum esse nulla ratione iudicat, videmus fere consentire illum legisse Cornelium Nepotem (Sauppius, Kritzius), Pomponium Atticum (Kritzius, Pernices), Pompeium Trogum (Kritzius, Pernices), Livium (Sauppius, Pernices. Georges, Koehlerus), Sallustium, Ciceronem (iidem).

Ex hac virorum doctorum consensione certe id puto apparere, eorum, quos enumeravi, scriptorum vestigia in Vellei Paterculi historia posse perspici. Sed tantam fontium multitudinem ab illo esse adhibitam vix quisquam crediderit, cum et quam sit exigua historia Vellei consideraverit — etenim ut magnae sint prioris libri lacunae, tamen totum opus altero tanto maius fuisse libro posteriore non est verisimile — cumque quanta festinatione scriptor in libello suo componendo versatus sit secum reputaverit. Summam enim festinationem et ex ipsius verbis cognoscimus (1,16,1 *intellego mihi in hac tam praecipiti festinatione . . . paene magis necessaria praetereunda quam supervacua amplectenda.* 2,41,1 *secutus est consulatus C. Caesaris, qui quam libet festinantem in se morari cogit.* 108,2 *nulla festinatio*

[1]) Negari nequit eadem persaepe narrare Velleium atque alios ante eum scriptores velut 1,9,5 (Valerius Antias apud Liv. 28,46,14), 2,12,5 (Lutatius Catulus ap. Plut. *Mar.* 25). Sed hac via et ratione fontes disquirere certe non licet.

huius viri mentionem transgredi debet. 124,1 *quid tunc homines timuerint . . . neque mihi tam festinanti exprimere vacat*) et ex multis erratis narrationibusque properanter iniquo loco insertis concludere possumus (Sauppius p. 147).

Cuius festinationis causam cum quaerimus, docemur coniectura a Dodwello in *Annall. Vell.* § 29 (in Frotscheri editione p. LXXXV.) proposita et a Laurentio *Fast. cap.* p. 83 aliisque repetita, eo consilio Vellium scripsisse libros suos probabile esse, ut grati animi in M. Vinicium, cui opus dedicasset eiusque ad consulatum tempora plerumque constituisset, praestaret publicum monumentum. Miram autem atque singularem eius rationem, qua tempora ad consulatum constituit, scriptor putandus est propterea modo computavisse, ut honorem illum summopere celebraret. Atque cum Vinicius consul fuerit anni p. Chr. n. 30, cumque res usque ad hunc modo annum Velleius referat atque saepius ad annum 29 p. Chr. n., ut infra videbimus, tempora constituat, suspicari nobis licet propterea scriptorem festinasse, quod Vinicio consuli designato gratulari voluit.

Jam videamus quonam modo fieri potuerit, ut scriptor in summa festinatione non paucis fontibus videatur usus esse atque inseruerit sententias multifarias de poetis et Graecis et Romanis, de scriptoribus pedestris sermonis, de oratoribus, de multis aliis, quas si quis scribit, haud ignarum se esse litterarum ostendit. Duplici modo hinc nobis videmur posse ratiocinari, scriptorem aut iam diu id agentem, ut historiam componeret, librorum, quos legebat, excussisse eos locos, qui gravioris momenti sibi viderentur, adeoque paratis auxiliis ad opus suum scribendum accessisse, aut inde demum a Vinicio consule designato consilium historiae litteris tractandae iniisse atque paucos modo libellos ante oculos habentem historiam variis digressionibus, quae eius memoriae e libris in otio lectis praesto erant, exornatam conscripsisse. Atque priorem quidem suspicionem cum sequemur, ut ne id quidem negandum nobis erit, fieri potuisse, ut Velleius abditis atque vetustissimis fontibus uteretur, ita manifestum erit

hunc, qui exstat, libellum non esse illorum studiorum fructum, cum et veri esse simillimum viderimus huius operis tractandi consilium inde demum a Vinicio consule designato esse a scriptore captum, neque intellegi posse confitebimur, cur ille, cum in colligendis copiis tam diu assidueque versatus sit, in illustrandis eis et describendis ita festinaverit. — His ex angustiis videamus num Kritzii sententia (p. XIV ss.) adiuti evadere possimus, qui et ex locis nonnullis, ubi aliud opus respicit Velleius, et ex eo, *quod inde ab ea historiae Romanae parte, ubi bella civilia attigit, copiosior fit in narrando et aperte maiorem quandam diligentiam atque ubertatem in iis explicandis ostendit, quae ad parandum ac stabiliendum principatum pertinent* (p XVII), sibi videtur posse concludere scriptorem *festinato hoc libello pauca delibasse ex collectis copiis et tanquam specimen amplioris operis edidisse* (ibid. cfr. Reichavius l. l. p. 7). Sed ex illis locis (2,48,5 *harum praeteritarumque rerum ordo . . . uti spero, nostris explicabitur.* 96,2 *gentis Pannoniorum Delmatarumque nationes . . alio loco explicabimus.* 99,3 *quis fuerit eo tempore civitatis habitus . . . iusto servemus operi.* 103,4 *laetitiam eius diei vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus . . .* 114,4 *ferocem illam tot milium iuventutem . . . iustis voluminibus ordine narrabimus, ut spero.* 119,1 *ordinem atrocissimae calamitatis . . . iustis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere)* — quamquam ne intellegere quidem me confiteor, cur non idem valeat Sauppii iudicium (l. l. p 143), Velleium subito in scribendo illo libello maioris cuiusdam operis condendi consilium cepisse — certe, si Kritzii opinionem sequimur, id solum concludere possumus, scriptorem ad res inde a bello civili inter Pompeium et Caesarem exorto enarrandas habuisse copias collectas. Quae opinio, quamquam non satis certis argumentis est stabilita, si altero Kritzii argumento sublevaretur, haud inepta videretur esse. Sed minime eo, quod scriptor inde a belli civilis tractatione uberior fit in enarrando, potest concludi copiis antea collectis illum in scribendo adiutum fuisse, cum id solum ratiocinari possimus, Velleium, id quod mirum

non est, in libri parte de sua aetate conscripta maiore et diligentia et amore versatum esse quam antea. Quod discrimen inter narrationem belli civilis et eam, quae praecedit, aliter etiam posse declarari infra videbimus. Sed utut res se habet, intellegi nequit cur scriptor, si copias ad historiam suae aetatis tractandam collectas habuerit, cum adeo temporis angustiis pressus sit, totam et Graecorum et Romanorum historiam scribere susceperit neque potius narratione inde a bello civili scripta Vinicio gratulatus sit.

Quae cum ita sint, illam alteram, quam supra diximus, ratiocinationem nos sequi necesse est neque dubitare, quin Velleius nullis antea collectis copiis ad libros suos componendos accesserit habueritque pressus tempore ante oculos paucos modo libellos, quos levidensi labore perspicere et ex eis historiam suam fructibus studiorum suorum e memoria additis componere potuerit. Quae cum ita sint, vetustis Velleium fontibus usum esse non est veri simile, sed potius libros ad usum cotidianum aptos atque sua aetate conscriptos divulgatosque ante oculos eum habuisse credendum est.

II.

Jam id acturi, ut eos libellos, quos potissimum a Velleio inspectos excerptosque esse nos diximus probabile esse, exquirere conemur, proficiscamur a scriptoris temporum constituendorum ratione, quam prorsus singularem esse omnes editores consentiunt. Cuius rei, quam in eo esse positam Kritzius existimat (p. XL), quod Velleius non solum a vulgari chronologia recedit, sed etiam a se ipso discrepat, nemo eorum hucusque probabilem causam attulit, cum alii discrepantiam illam e vitiosa lectione tralaticia exortam esse rati emendando putarent chronologiam sanandam esse, ut Kritzius, alii, ut Laurentius (l. l. p. 81 ss.), in eo acquiescerent, ut peculiare quoddam systema chronologicum sequi Velleium existimarent.

Atque primum quidem, cum, ut supra diximus, Velleius saepissime tempora constituat ad consulatum Vinicii, quaeramus cui anno scriptor illum consulatum tribuat. Quem annum probabilem primus Laurentius (l. l. p. 80) invenit. Tribus enim locis, ubi tempus ita constituatur, ut et anni post urbem conditam peracti et anni usque ad consulatum Vinicii vel ad id tempus, quo Velleius scripsit, enumerentur, ambobus numeris contractis vidit homo ille doctus effici numerum 781. Qui numeri fere integri traditi sunt (2,49,1 *Lentulo et Marcello consulibus post urbem conditam annis septingentis et tribus, ante annos octo et septuaginta, quam tu, M. Vinici, consulatum inires, bellum civile exarsit.* 65,2 *consulatumque iniit Caesar pridie quam viginti annos impleret decimo Kal. Octobres cum collega Q. Pedio post urbem conditam [abhinc] annis septingentis et novem, ante duos et septuaginta, quam tu, M. Vinici, consulatum inires.* 103,3 *perseveravit, ut . . . . eum Aelio Cato C. Sentio consulibus V. Kal. Julias, post urbem conditam annis septingentis quinquaginta quattuor, abhinc annos septem et viginti adoptaret),* nisi quod 49,1 et 65,2 editio princeps et apographum Amerbachii, 103,3 apogr. Amerb. et collatio Bureri pro signo numeri 500 (D) habent A (a). —

Iis calculis quomodo Velleius differat a Varroniana, quae vulgo adhibetur, ratione hac tabula perspiciatur:

capp.	Consules	Anni: a. u. c. Varr.	Anni: ante Chr. n.	Anni: Vell.
2,49,1	C. Claudius M. f. M. n. Marcellus L. Cornelius P. f. —. n. Lentulus Crus	705	49	703
65,2	C. Julius C. f. C. n. Caesar Octavianus Q. Pedius M. f.	711	43	709
			p. Chr. n.	
103,3	Sex. Aelius Q. f. L. n. Catus C. Sentius C. f. C. n. Saturninus	757	4	754
	M. Vinicius P. f. M. n. L. Cassius L. f. L. n. Longinus	783	30	781

His igitur numeris, quos incorruptos esse servatos nihil est quin credamus, id certe apparet, duas inter se discrepantes sequi Velleium rationes, quarum altera duobus, altera tribus annis a Varroniana recedit.[1])

Atque illam quidem, quae triennio differt a vulgari ratione, scimus aliorum quoque scriptorum in usu fuisse. Haec autem differentia temporum a scriptoribus constitutorum et fastis consularibus nobis conservatorum, ut paucis repetamus ea, quae hac de re Mommsenus in *chronol. Rom.*[2] p. 110 ss. nuperque Matzatius in *chron. Rom.* I. p. 330 ss. docuerunt, ex eo exorta est, quod publica monumenta, quibus tempora constituebantur, quattuor annos a. u. c. Varr. 421. 430. 445. 453 haberent eosque libri annales desiderarent. at annum, qui est in fastis 304, libri manuscripti duobus annis significarent. Atque quattuor illos annos veri est simile propter a monumentis publicis esse insertos, ut error quidam chronologicus revocaretur, quam ad rem illi anni aptissimi erant, quippe qui et consulatus et dictaturas haberent; fieri autem potuit ut annus 304 bis numeraretur, cum decemviri illius anni diutius anno, scilicet undeviginti menses (Mommsen. l. l. p. 92 et 119) imperium obtinerent. Res igitur ita comparata est, ut annales congruant cum fastis usque ad annum 304, anno praecedant usque ad a. 420, congruant usque ad a. 429, recedant anno usque ad a. 444, duobus annis usque ad a. 452, tribus inde ab a. 454.

Sed hoc usque eos modo calculos respeximus, quibus per 244 annos reges regnasse putantur, ita ut a. 754 a. Chr. n. urbem conditam esse efficiatur. Sed huic Varronianae, quae

[1]) Praeterea ex his locis concludi potest tempus, quo scripsit Velleius, fere concidisse cum Vinicii consulatu. Sed quamquam secundum hos locos nullum videtur discrimen esse utrum Velleius tempora ad Vinicii consulatum an ad id, quo scripsit, tempus constituat, cum tribus illis locis numerus 781 efficiatur, tamen plerisque aliis locis, ubi ab ipso scribendi tempore rationem instituit, potius annum 780 ponere nos debere omnibusque posse videbimus Jtaque, quod illo solo loco 103,3 tempus scribendi eodem anno, quo Vinicius consul erat, significatur, eam videtur causam habere, quod Velleius finem libri sui exeunte anno 780 scripsit.

vocatur, aerae aliam esse oppositam notum est, cui a Catone nomen inditum est eaque, cum 243 modo anni regum tempori attribuantur, annus urbis conditae 753 a. Chr. efficiatur. Hi calculi et in fastis publicis Augustae aetatis et in eiusdem temporis libris adhibiti (Mommsen. l. l. p. 142) eandem inter se differentiam praebeant necesse est atque calculi Varroniani qui dicuntur. Quod si aeram Catonianam, quae exstat in libris, comparamus cum fastorum ratione in calculos Varronianos redacta, quos vulgo sequimur, anno recedere Catonis calculos apparet a Varronianis usque ad annum 304, congruere usque ad a. 420, anno recedere usque ad a. 429, duobus annis usque ad a. 444, tribus usque ad a. 452, quattuor inde ab anno 454.

Videamus, quonam modo his calculis usus sit Velleius. Etenim cum non esse dubium arbitremur, quin ille consulatum Vinicii anno 781 p. u. c., i. e, ut diximus, a. 783 fastorum consularium in Varronis rationem redactorum posuerit, cumque multis locis tempora vel ad consulatum Vinicii vel ad tempus eius consulatui proximum, quo scripsit, constituat, ex locis illis conicere licet quos calculos scriptor secutus sit. Itaque, cum credibile sit per totum libellum auctorem illum numerum 781 in animo habuisse atque illius anni et temporum, quae constiturus erat, differentiam enumerasse, ab eodem, quo Velleius videtur annos constituisse, progressi numero primum quidem eos excutiamus atque tractemus locos, ubi Velleium iudicamus eam secutum esse aeram, quae a Varroniana ratione triennio recedat.

1,7,4 *cum sint a Capua capta anni ducenti et quadraginta* . . . — Eum numerum cum subtraxerimus ab anno, quo Velleius scripsit, habebimus a. 540, respondentem ad a. a. u. c. Varr. 543. (Mommsen. *h. R.*[6] I p. 641.)

8,4. *sexta olympiade post duo et viginti annos quam prima constituta fuerat, Romulus* . . . *Romam* . . *condidit, a quo tempore ad vos consules anni sunt septingenti octoginta unus* [em. Laurent. e monstruosa editionis primae lectione *D.CCCC.LXXX.L*].

2,2,2. *Tiberius Gracchus . . . P. Mucio Scaevola L. Calpurnio consulibus abhinc annos centum sexaginta duos descivit a bonis.* — Numerus ille subtrahatur necesse est ab 780, h. e. ab eo anno, quo Velleius scripsit. Itaque habemus annum 618 respondentem ad annum a. u. c. Varr. 621.

7,5. *hic est Opimius, a quo consule celeberrimum Opimiani vini nomen; quod iam nullum esse spatio annorum colligi potest, cum ab eo sint ad te, M. Vinici, consulem anni centum quinquaginta unus**[1]) [*CLI* AP, *CL* Aldus, *CLII* Laurent.]. — Nihil habemus cur hic emendemus, cum numero tralaticio (781—151) efficiatur annus 630, qui respondet ad annum a. u. c. Varr. 633 sec. fastos consulares.

12,1 *Marius . . . Jugurtha rege abhinc annos ferme centum triginta quattuor potitus est; designatusque iterum consul in urbem reversus secundi consulatus initio Kal. Januariis eum in triumpho duxit.* — Numerus *CXXXIIII* emendatione Aldi ex *CXXXVIII* librorum restitutus est (cfr. Kritz. prolegg. p. *XLIII*). Habemus igitur annum 646 respondentem ad annum a. u. c. Varr. 649, quem annum secundum fastos consulares alter Marii consulatus sequebatur.

27,1 *Pontius Telesinus . . . Carbone ac Mario consulibus abhinc annos centum et undecim** [*CXI* Aldus: *XI* MP, *XL* P, *CIX* Kritzius] . . . *cum Sulla dimicavit.* Aldi emendatione, qui signum numeri C optimorum codicum lectioni addidit, habemus (780—111) a. 669 ad annum a. u. c. Varr. 672 respondentem.

29,1 *sub adventum in Italiam L. Sullae Cn. Pompeius . . . abhinc annos centum et tredecim . . . contraxit exercitum.* — Habemus igitur annum 667 (780—113), qui respondet ad annum a. u. c. Varr. 670. Subsequenti anno ineunte Sulla in Italiam venit (Clintonii *fasti Hell.* p. 152).

103,3 v. supra p. 11.

Cum ea, quam supra diximus, ratione circumspiciemus ubi Catoniana aera usus sit Velleius, libri secundi unum modo locum inveniemus.

---

[1]) Locos, ubi ab Halmiana editione recedo, stellula significavi.

2,15,1 *L. Caesare et P. Rutilio consulibus abhinc annos centum viginti, universa Italia . . . arma adversus Romanos cepit.* — Respondet enim annus Velleianus 660 ad annum a. u. c. Varr. 664.

Sed haud scio an etiam tabula coloniarum a Velleio capp. 14 et 15 libri prioris prolata ita comparata sit, ut nobis eam calculos Catonianos praebere liceat suspicari. His de coloniis a Sauppio l. l. Madvigio *opusc.* I. p. 208 ss aliis vv. dd. tractatis ut certius diiudicemus cum tum demum fieri poterit, si, quae sunt in inscriptionibus latinis, testimonia excussa atque collecta erunt, hoc loco praetermissis omnibus eis, quae ad historiam magis Romanarum coloniarum quam ad hanc quaestionem pertinent, paucis de eis disseramus locis, ubi scriptor annos ab ipso suo tempore constituat.

14,3 *abhinc annos autem trecentos et sexaginta* [*CCCLX* Laurent.: *CCCL* AP] *Sp. Postumio Veturio Calvino consulibus.* — Laurentii emendatione habemus annum 420 respondentem ad a. a. u. c. Varr. 420.

14,6 M'. Curio et Rufino Cornelio consulibus . . . ante annos ferme trecentos et viginti [*CCCXX* A, *„exemp. vetustum habet ‘id actum ante annos CCCXX'“* Burer. *CCCXXX* P], — a. 460 respondet ad a. u. c. Varr. 464.[1])

14,7 *abhinc annos ferme trecentos Fabio Dorsone et Claudio Canina consulibus* [481 a. u. c. Varr.]. — Hoc loco rotundum numerum Velleium posuisse veri simile est, qua re quibus ille calculis usus sit cognoscere prohibemur.

15,2 *Manlio Volsone et Fulvio Nobiliore consulibus . . . abhinc annos ferme ducentos septendecim.* — Neque hoc loco, cum illi consules fuerint a. u. c. Varr. 565 atque emendatione calculos Varronianos et Catonianos restituendi eadem nobis sit facultas, quam scriptor secutus sit temporum rationem discerni potest.

---

[1]) Nihil certe refert utrum, ut Halmio videtur, Burerius in adnotatione sua „ferme“ errore omiserit an in exemplo suo re vera non invenerit. Nam ferme particulam ad numerum appositam non semper significare scriptorem calculos quosdam non satis limatos afferre et in ipso Velleio et in aliis scriptoribus saepius videmus. Cfr. Mommsen. *Chron. Rom.* p. 201.[391]

15,3 *missi coloni Auximum — abhinc annos ferme centum octoginta septem** [*CLXXXVII* AP: *CLXXXV* Burman.], *ante triennium quam Cassius censor a Lupercali in Palatium versus theatrum facere instituit, cui in eo moliendo eximia civitatis severitas et consul Scipio restitere* . . . Habemus igitur, si tralaticiam lectionem sequimur, a. 593 respondentem ad a. 597 Varr., quo anno Auximum deducta colonia est (Mommsen. *hist. Rom.* II. 80) itemque addito triennio a. 596 respondentem ad a. a. u. c. Varr. 600.

15,4 *Cassio Longino et Sextio Calvino consulibus . . abhinc annos ferme centum quinquaginta tris* [*CLIII* Krausius *CLVII* AP]. – Hoc uno loco Krausii emendatione lectionem ita posse facile restitui concedendum est, ut aeram Varronianam habeamus [a. 627: a. u. c. Varr. 630].

15,5 *Narbo autem Martius Porcio Marcioque consulibus abhinc annos circiter centum quinquaginta tris** [*CLIII* AP: *CXLVI* Lipsius] *deducta colonia est. post tres et viginti** [*XXIII* AP: *XIII* Aldus] *annos in Bagiennis Eporedia Mario sextum Valerioque Flacco consulibus.* — Hunc locum num emendatione sanare debeamus admodum dubito. Nam tralaticiam lectionem cum servabimus, quamquam prior numerus annum ad fastos consulares minime quadrantem efficit (627:636), si addiderimus differentiam, quae in libris est inter utrumque consulatum, habebimus a. 650 respondentem ad a. a. u. c. Varr. 654.

Quae cum ita sint, quamvis sane nequeamus demonstrare his capitibus Vellium secutum esse aeram Catonianam, tamen id nobis videmur posse pro certo habere, aliam hic latere temporis rationem atque locis supra disputatis, cum et nonnulla vestigia quamvis exigua Catonianae rationis hic inveniantur et temporis ratio multo laxior videatur esse quam in ceteris libri partibus.

Praeterea alios calculos invenimus, quos, cum videatur ratio quaedam eis inesse, puto esse retinendos. Etenim quinque aut sex annos hos numeros recedere ab annis Varonianis, quos vulgo sequimur, animadvertimus, quam rati-

onem haud alienam fuisse a vetustis annalibus Mommsen. docet *chron.* p. 133.

1,12,5 *Carthago diruta est, cum stetisset annis sexcentis sexaginta septem** [*DCLXVII* P, *DCLXVI* A] *abhinc annos centum septuaginta septem** [*CLXXVII* M, *CCLXXVII* AP] *Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio consulibus. hunc finem habuit Romani imperii Carthago aemula, cum qua bellare maiores nostri coepere Claudio et Fulvio consulibus ante annos ducentos nonaginta sex** [AP] *quam tu, M. Vinici, consulatum inires.* — Emendationes virorum doctorum non apposuimus, quod putamus integritatem lectionis luce esse clariorem. Nam cum anni consulatus a Velleio exhibiti 603 (780—177) et 485 (781—296) respondeant ad annos a. u. c. Varr. 608 et 490, cumque numerus 603 addito numero 64 (cfr. 6,4 *ante annos quinque sexaginta quam urbs Romana conderetur . . . Carthago conditur*, ubi suspicari possumus, annum 65 Carthaginis concidere cum anno primo urbis) efficiat numerum editionis principis 667 Burerii silentio stabilitum, rationem quandam his calculis inesse contendimus quamvis non satis nobis cognitam atque tralaticiam lectionem esse servandam.

2,4,5 [Scipio Africanus] *reversus in urbem M'. Aquilio C. Sempronio consulibus abhinc centum et sexaginta* [*CLX* Laur. *CL* AP, *CLVII* Kritz.] *annos . . . decessit anno ferme sexto et quinquagesimo: de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum eius, in quem creatus est anno octavo et tricesimo* [*XXXVIII* Puteanus[1]) *XXXVI* AP]. — Emendationes virorum doctorum si sequimur, annus 620 respondet ad annum a. u. c. Varr. 625, quo anno Aquilius et Sempronius sec. fastos C. consules fuerunt. Ab anno 620 si subtraxerimus 18 (56—38) habebimus annum 602, qui idem est atque annus a. u. c. Varr. 607.

38,2 *primus Africam Regulus nono ferme anno primi Punici belli** *sed post centum et novem* [*CVIIII* Bip. *CCIIII* AP,] *annos P. Scipio Africanus eruta Carthagine abhinc*

[1]) Puteani emendatio stabilitur Livii (44,44,3) testimonio. cfr. Kritzium *Vell.* p. 98.

*annos centum septuaginta septem** [*CLXXVII* Laurent. cfr. lectionem Burerii 1,12,5. *CLXXXII* P] *Africam in formulam redegit provinciae.* — Cum Velleius, ut supra vidimus, initium primi Punici belli ponat a. 485 p. u. c., nonus annus eius belli est annus 493 respondens ad a. a. u. c. Varr. 498 sec. fastos consulares, cui numero si addemus 109, habebimus a. 602, vel, si includimus annum 109, a. 603 respondentem ad a. a. u. c. Varr. 608, quo anno Scipio Africam redegit. Atque his cum calculis fere congruit id quod scriptor dicit de tempore belli Punici secundi ineuntis

38,4 *in Hispaniam primi omnium duxere exercitus Cn. et P. Scipiones initio secundi belli Punici abhinc annos ducentos quinquaginta.* —

90,2 *in quas provincias cum initio Scipione et Sempronio Longo consulibus abhinc annos quinquaginta et ducentos exercitus missi essent* . . . Unde apparet, Velleio annum 530 eundem esse atque 536 sec. f. c. Varr.

Atque his calculis haud scio an attribuendum sit

2,10,1 *prosequamur nota severitatem censorum Cassii Longini Caepionisque, qui abhinc annos centum quinquaginta septem** [*CLVII* AP: *CLIII* Kritz.] . . . — Nam censores illos fuisse invenimus a. a. u. c. Varr. 629, quem ad annum, cum lectionem emendatione probabili neque ad Catonianam neque ad Varronianam aeram possimus aptam facere, tralaticiae lectionis annus 623 videtur respondere

Inde ab initio cap. 49 scriptorem excepto uno loco 103,3 prorsus aliam videmus sequi temporum rationem atque antea. Nam et multo rarius eum ponere numeros hac in parte libri quam in antecedente iam obiter legentibus nobis apparet et accuratius considerantibus tempora eum partim ita constituere apertum est, ut ab annis a. u. c. Varr. duobus annis recedant (49,1 et 65,2, v. supra p. 11, quibus locis sine dubio sanis anni 703 et 709 respondent ad annos a. u. c. Varr. 705 et 711), partim ita, ut fere congruant cum annis a. u. c. Varr., praesertim cum, ut nobis ex 103,3 suspicari licuit, scriptor in fine libri scribendo annos ad scribendi

tempus constituens non annum 780 sed 781 iamiam appropinquantem memoria tenuerit.

90,4 [Hispanias] *ad pacem abhinc annos ferme quinquaginta perduxit Caesar Augustus* (hic est annus a. u. c. Varr. 730. cfr. Dio Cass. 53, 28 et 29).

93,1 *abhinc annos quinquaginta M. Marcellus . . . decessit* (a. 730 vel 731 resp. ad annum a. u. c. Varr. 731. cfr. Plin. *n. h.* 29,1).

100,2 *Augustus abhinc annos triginta se et Caninio consulibus* (a 750. vel 751 resp. ad annum a. u. c. Varr. 752).

Qui numeri ita comparati sunt, ut memoriter eos scripsisse Velleius putandus sit, qua re eos non satis accuratos esse intellegas. Dubium est num huc adnumeremus

36,1 *consulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus natus eo anno divus Augustus abhinc annos octoginta duos* * [*LXXXII* AP, *LXXXXII* Aldus, *LXXXX* Kritz.]. — Etenim, cum lectio certe corrupta sit, si probabimus Kritzii emendationem (a. 690 = 691 f. c. Varr.), memoriter videtur Velleius numerum scripsisse, quod non est incredibile, sin autem haud minus probabilem Aldi coniecturam sequemur, Velleium hoc loco Varronianis usum esse calculis probabile erit (a 688 = 691 f. c. V.).

Postremo si addemus unum locum exstare, qui congruens cum calculis fastorum consularium neque e memoria effluxisse neque emendatione sanari potest

21,5 *primus eius nominis ante annos fere centum sexaginta septem* [*CLXVII* MA: *CLXVIII* P] *Q. Pompeius cum Cn. Servilio consul fuit* . . . quorum calculorum, qui cum fastis consularibus congruant, causam in sequente capite (p. 24) quaeremus; atque vetare Mommsenum mutari numerum 1,8,1 *(ante annos, quam tu, M. Vicini, consulatum inires, DCCCXXIII), quia si adiciantur anni CCCCXXVII, quos posuit Clemens Alexandrinus, ipsi illi conficiuntur anni MCCL, quos deinde Velleius numerat* (Haase *ed.* II p. VII), quam viri summi sententiam secuti lectionem esse servandam arbitramur, quamvis calculi hoc loco non sint dilucidi, ut

etiam in tabula illa coloniarum atque alibi scriptorem usum esse temporis ratione non satis nobis cognita suspicabamur — de omnibus, qui quidem Romanas res attingant, numeris a tempore scribendi vel consulatus Vinicii constitutis nobis videmur disseruisse; quae dissertatio num nostrae, quae est de fontibus, quaestioni proficiat iam quaeramus.

Eam, quae a Varroniana ratione biennio recedat, aeram vidimus scriptorem usque ad cap. 48 secutum esse, nisi quod cap. 14 et 15 libri prioris alios calculos, fortasse Catonianos exhibuit, quibus haud scio an iure attribuamus cap. 13 usque ad 16, i. e. narrationem de bello Italico prolatam, cum cap. 15 eos calculos invenerimus. Prorsus alios calculos sed certa eos ratione exhibuit scriptor in capp. libri prioris 12, posterioris 4, 10(?), 38,90. Quae cum ita sint, ita fere videntur calculi distribuendi esse.

a. u. c. Varr.	Ratio recedens a Varroniana ratione annis					
	1	2	3	4	5	6
			1,7,4			
					1,12,5	
				1, 14 et 15?		
			2,2,2			
					2,4,5	
			2,7,5			
						2,10,1
			2,12,1			
				2,15,1		
2,21,5						
			2,27,1			
			2,29,1			
	2,36,1		2,36,1			
					2,38,2	2,38,4
		2,49,1				
		2,65,2				
2,90,4						2,90,2
2,93,1?						
	2,100,2?					
			2,103,3			

Quam calculorum dissensionem ex eo effluxisse, quod diversis scriptor usus est fontibus, ut iam per se credibile est, ita apertum fieri puto ex eo, quod ea capita, quibus Velleium rationem a Varroniana triennio recedentem sequi

negavimus, plerumque non satis conexa narratione cum ceteris videntur coniuncta esse. Ita l. II capp. 4 et 5 ex alio fonte derivata esse atque 2 et 6 ex eo colligi potest, quod scriptor initio cap. 6, cum ait *decem deinde interpositis annis,* respicit ad id, quod in cap. 3, et non ad id, quod in cap. 5 enarravit. Tabula coloniarum quam non sit conexa cum narratione ostendere nobis opus non est, itemque ea, quae capp. 38 et 39 enarrantur, ut inter se conexa sunt, ita cum cetera narratione adeo non coniunguntur, ut ipse scriptor in fine cap. 39 ad ordinem se reverti dicat aperteque initium cap. 40 coniungat cum cap. 37.

III.

Inde a cap. 49 prorsus diversam sequi Velleium rationem diximus atque antea. Quam calculorum diversitatem arbitramur non posse probari nisi ex eo, quod non eundem ille fontem in utraque libri parte ante oculos habuit. Atque primum quidem quaeramus quinam iste sit fons, quem in priore operis nobis servati parte, i. e. usque ad cap. 49, scriptor potissimum putandus sit secutus esse.

Circumspicientes igitur num inter aequales Vellei — nam non vetustos atque tempore abditos sed aptos ad communem usum illum inspexisse supra p. 10 vidimus veri simile esse — inveniatur, qui in annalibus vel historiis conscribendis Varronianam aeram exhibuerit, incidimus in adnotationem Solin. I 27 M. *Romam — placet conditam — Pomponio Attico et M. Tullio olympiadis sextae anno tertio* (cfr. Mommsen. *chron.* p. 148 adn. 281). Eodem olympiadis anno Velleius cap. 1,8 urbem conditam dicit, atque scimus ita comparasse Romanam temporum rationem cum Graeca eos scriptores, qui Varronianos calculos sequebantur (Momms. p. 145). — Attici autem librum maxime idoneum fuisse ad id, quod Velleius sibi proposuerat, cum compendiosam historiam brevi tempore scripturus esset, apparet ex Cic. *Brut.* 3,13 *an mihi potuit, in-*

quam, esse aut gratior ulla salutatio aut ad hoc tempus aptior quam illius libri, quo me hic affatus quasi iacentem excitavit. Tum ille 'nempe eum dicis', inquit, 'quo iste omnem rerum memoriam breviter et, ut mihi quidem visum est, perdiligenter complexus est'. Et *orat.* 34,120 *cognoscat etiam rerum gestarum et memoriae veteris ordinem; maxime scilicet nostrae civitatis sed etiam imperiosorum populorum et regum illustrium, quem laborem nobis Attici nostri levavit labor, qui conservatis notatisque temporibus, nihil cum illustre praetermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit.* —

Sed his testimoniis idoneum modo fuisse Attici opus apparet, quod, cum uno libro omnem rerum memoriam breviter complecteretur, Velleio usui esset, re vera autem illud ab eo inspectum esse aliis rebus apertum fit. Etenim cum, id quod ex illis testimoniis discimus, temporibus constituendis Atticus praesertim operam dederit, quomodo factum sit intellegimus, ut Velleius hac in parte operis sui tot locis numeros afferret[1]), cum in sequente parte hanc rationem fere plane neglegeret. Huc accedit, quod Velleius Attici annalibus adiutus optime id studium consequi potuit, quod ut proprium Vellei ita non alienum videtur fuisse aliis eius aetatis scriptoribus. Velleium enim persaepe summo cum studio variam familiae fortunam describere iam obiter legenti manifestum est [cfr. Sauppium, qui affert narrationem de L. Paullo (1,10), Achille (6), Metello (11), Scipione Nasica (2,3), de unius familiae honoribus (8,10,11), de Sulla (17), de Pompeiis (21), de Caesaris proavis (41)]. Neque iniuria Sauppius refutat opinionem Ulricii (*Char. der ant. Hist.* p. 117, 130, 132, ss) qui hoc genus scribendi idcirco Velleium secutum esse voluit, ut illis hominum vere Romanorum exemplis mores aetatis suae labentes redintegraret. Cuius scribendi generis, quod etiam alios eius temporis scriptores usurpasse scimus[2]), ea potius cre-

[1]) Similiter Attici liber Ciceronem inflammavit studio illustrium hominum aetates et tempora persequendi. Cic. *Brut.* 18.

[2]) Hier. *de vir. ill.* II. p. 821 *de viris illustribus scripserunt — apud Latinos, Varro, Santra, Nepos, Hyginus.* — Plin. *n. h.* XXXV. 8 *similis causa Messalae seni expressit volumina illa, quae de familiis condidit.*

denda est causa fuisse, quod Augusti eiusque successorum tempore scriptores, cum singulas familias singulosque homines magis magisque principatum tenere viderent, eorum imprimis res gestas illustrare coeperunt atque eam rationem ad liberae quoque rei publicae res enarrandas transferebant. Ita Attici quoque annales conscriptos fuisse scimus teste Corn. Nep. *Att.* 18, *sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere* (Kritz. l. l. p. XXXIX).

Illum librum anno fere 708 innotuisse (Mommsen. *chron.* p. 141) eundemque respexisse[1]) etiam res a. 703 gestas probabile est (Cic. *Brut.* 5,19 *ut illos de re publica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus: eisque nosmet ipsi* [Atticus] *ad veterum rerum nostrarum memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus.* — Quocum conferas Drumanni *h. R.* 6,85) Atticum autem initia quoque belli civilis a. a. u. c. Varr. 705 conflati conscripsisse atque ita quid sentiret de rei publica dubio statu et de partium condicione ausum esse indicare vix credi potest. Itaque cum ex eo, quod scriptorem inde a belli civilis narratione (cap. 49) aliam tempora constituendi rationem ingredi vidimus eumque inde in enarrando uberiorem fieri quam antea iam Kritzius[2]) animadvertit (v. supra p. 10), nobis visi simus posse contendere inde a cap. 49 alium eum atque antea fontem sequi; cumque cur mutaverit ille eo loco fontes suos nulla possit inveniri causa, nisi quod prioris fontis narratio scriptorem deficiebat, id quod diximus de tempore libri Attici argumentum esse arbitramur usque ad cap. 48 illum a Velleio esse inspectum.

Quae commemorat scriptor in cap. 2,9 de oratoribus poetis historicis, ex ipsis Attici annalibus emanare potuerunt. Nam Atticum haec atque alia eiusmodi in libro suo adnotasse

[1]) Cicero cum dicit (*or.* 34,120) *annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit,* certe rotundo utitur numero. Nam Atticum res usque ad id tempus, quo scripsit, gestas notasse nihil habemus quin credamus.

[2]) cfr. etiam Pernices p. 10.

apparet ex Cic. *Brut.* 18,72 *atque hic Livius, qui primus fabulam C. Claudio Caeci filio et M. Tuditano consulibus docuit anno ipso ante quam natus est Ennius, post Romam conditam autem quarto decimo et quingentesimo, ut hic* [Atticus] *ait, quem sequimur* ss. Atque in hac quidem enumeratione nihil fere desideratur, in altera autem, quae exstat in cap. 36 in eaque oratores historici poetae Ciceronis aetatis adnotantur, eorum scriptorum, qui ante a. 705 scripserunt, praecipuos invenimus, eorum autem, qui postea floruerunt, videmus summos desiderari. Nam neque Horatii neque Propertii neque L. Varii[1]) mentio fit. Quae cum ita sint, suspicamur Velleium partim fonte suo inspecto partim e memoria enumerationem illam confecisse argumentumque hoc esse putamus scriptorem in hac operis parte Attici annales ante oculos habuisse.

Cui opioni nonnulla aliquis crediderit obstare, cum, ut ex Ciceronis verbis videtur apparere (*Brut.* 18,72) Atticus non eam quam annales sed quam fasti publici exhibebant temporum rationem putandus sit secutus esse, fortasse etiam eius rationis auctor fuerit (Matzatius ll. I. p. 336 ss. p. 353[2]). Sed de differentia annorum in annalibus et in monumentis publicis Atticum, quem tempora praecipue respexisse et tractasse sciamus (v. supra p. 22 cfr. Mommseni *chron.* p. 145) disseruisse in *annalibus* suis, quibus novam illam temporis rationem sequebatur (Matzatius I. p. 345), certum est. Ita fieri potuit, ut Velleius ad rationem non iam usitatam, quos in fonte suo inveniebat, numeros redigeret. Qua in re semel eum errasse non est admirandum. Nam, ut vidimus p. 19, c. 21,5 oblitus numerum ad suam rationem redigere fastos consulares secutus est.

Inde a capite 101 scriptor ea se narrare saepius affirmat, quae ipse viderit. Itaque in hac eum parte libelli fontem inspexisse certe negandum est, quamquam librorum, quibus

[1]) cfr. Weichert. *de Lucii Varii et Cassii Parmensis vita et carminibus* p. 59 ss. L. Varius a. 705 circiter viginti quinque annos natus fuisse putandus est (ib. p. 21 et 71), sed ante hunc annum non videtur carminibus innotuisse (ibid. p. 34. 55. 63).

illud tempus tractabatur, haud ignarum eum fuisse apparet ex 119,1, ubi de Vari exitu legitur *„ordinem atrocissimae calamitatis, qua nulla post Crassi in Parthis damnum in externis gentibus gravior Romanis fuit, iustis voluminibus ut alii ita nos conabimur exponere."* Nam omnium fere, quas enarrat, rerum videtur spectator fuisse (cap. 101, 103—115, 121). Alias autem, quas commemorat, putandus est ita referre, ut fama vulgatae erant (102,1). neque incredibile est nonnullarum rerum scientiam eum e senatus vel publicis actis hausisse (111,1 *audita in senatu vox principis* ss. 129,3 quo cum loco cfr. Tac. *ann.* III. 47 Reichau l. l. p. 32 et 35) more antiquis scriptoribus haud inusitato (Hübnerus *„de senatus populique Romani actis"* in Fleckeisen. *ann. phil. vol. suppl. III p. 571*).

Verum etiam decem, quae praecedunt, capita non eius modi sunt, ut videantur ex alio quodam libro deprompta esse. Cuius rei puto argumentum esse, cum in illis decem capitibus triginta annorum spatium tractetur, totidem annos postea in triginta, antea autem viginti belli civilis annos describi in quadraginta capitibus. Cuius differentiae causa, si in capp. 91 usque ad 100 conscribendis fontem ille inspexerit, non intellegitur. Propterea illis eum capitibus ea, quae memoriae eius praesto erant de rebus post bellum civile gestis, inseruisse adeoque brevi transcursu ad id tempus in enarrando pervenisse, unde propter autopsian uberiorem fieri ei liceret, arbitramur. Semel (93,2 *„ut fama loquitur"*) famam se sequi in narratione disertis verbis indicat. Ad opinionem Velleium inde a cap. 90 memoriter librum conscripsisse quadrat id, quod de temporum ratione hac in parte operis inita p. 18 diximus. Neque repugnat unus locus 103,3 (v. p. 11), ubi annum accurate constituit ad aeram Varronianam. Etenim cum hunc eum annum memoria tenuisse probabile est, quo anno adoptionis Tiberii ipse castrorum Ti. Caesaris miles factus esset (104,3), intellegimus accurate eum hunc annum potuisse ad rationem suam redigere (v. supra p. 24).

Quodsi inde a cap. 90, i. e. a fine belli civilis secundi

fontem non videtur sequi, bella autem civilia tam accurate tractat, ut nullo eum libro usum esse incredibile sit, scriptorem post illum priorem fontem, quem usque ad initium belli civilis sequebatur, alium libellum inspexisse eumque bella civilia continentem concludimus. Hoc de fonte nihil opinari possumus[1]) nisi multo illum uberiorem fuisse in enarrando quam Attici annales vel priorem illum fontem a Velleio inspectum. Ita optime illud discrimen, quod inter narrationis partem usque ad cap. 49 et sequentem interesse Kritz. monuit (v. supra p. 9), declarari potest.

Sauppii quaestione (l. l. p. 146) admodum probabile factum est Velleium in rebus ante Romam conditam gestis enarrandis Cornelii Nepotis chronica secutum esse. Fortasse ex eo, quod temporum Carthaginis constitutio cap. 1,6,4 congruit cum annorum digestione, quae est in cap. 1,12 (cfr. supra p. 17) concludi potest Velleium eis locis, qui illam temporum rationem praebent, eodem usum esse fonte atque initio libelli nobis servati, i. e. Sauppio auctore Cornelio Nepote. Cui coniecturae aliquantum repugnat adnotatio Solin. I. 27. M. *Romam — placet conditam — Nepoti — olympiadis septimae anno secundo.* Itemque haeremus in quaestione de eo fonte, quem ille in partibus libri ad Catonianam aeram spectantibus habuit. Nam quamquam ipse Catonem et Hortensium collaudat, quorum prior illi temporum rationi nomen suum induit, posterior, cum ante Atticum scripserit, eandem rationem iniisse putandus est, atque Hortensii cap. 2,16 mentionem facit, quo capite Velleium aeram Catonianam sequi supra coniecimus, tamen num omnino his ille scriptoribus usus sit atque quomodo, certius diiudicari nequit. Nam ex eo, quod collaudat illos scriptores, non sequitur, ut in enarrando ille eos inspexerit, cum eorum narrationes vel in memoria habere vel in libro, quem in-

[1]) Nonnulla vestigia exstant fontem illum Valerii Messallae Corvini bellum civile fuisse, cum de rebus levioris momenti quas commemorat. Velleius (de Mena 73,2; 77,4 de Dellio 84,3) tradidisse etiam Messallam videamus (Suet. *Aug.* 74 Senec. *suas.* 1,7; cfr. Peter. *hist. Rom. frgm.* p. 267).

spiciebat, excussas invenire posset. Itemque quod nonnumquam de auctorum dissensione loquitur (1,7,2 *quidam aiunt* . . 2,4,6 . . *seu fatales, ut plures, seu conflatam insidiis, ut aliqui prodidere memoriae* . . 16,3 . . *cum alii tum maxime dilucide Q. Hortensius* . . *rettulit.* 21,5 (?) *seu duae seu tres Pompeiorum fuere familiae* . . 23,4 (?) *si quis hoc rebellandi tempus* . . *imputat Atheniensibus, nimirum veri vetustatisque ignarus est* . . 27,5 *sunt qui sua manu, sunt qui* . . *prodiderint* . . 32,6 (?) *sunt qui hoc carpant* . . 41,2 (?) *quod inter omnis antiquitatis studiosos constabat* . . 48,4 *harum praeteritarumque rerum ordo cum iustis aliorum voluminibus promatur* . . 53,4 (?) *quid aliud quam nimium occupatos dixerim, quos in aetate* . . *viri fefellit quinquennium* . . 119,1 *ut alii ita nos conabimur exponere)* non repugnat opinioni nostrae supra prolatae (p. 10) paucos modo eum libellos in scribendo ante oculos habuisse, cum ei illam auctorum dissensionem etiam ex fonte suo cognoscere licuisse non incredibile sit.

Quae cum ita sint, Velleium tres potissimum fontes in scribendo inspexisse pro certo habemus: primum ad res ante Romam conditam gestas enarrandas, alterum ad narrationem usque ad bellum civile, qua in parte libri sui interdum alio etiam fonte usus sit, tertium usque eo, unde, quae ipse vidisset, enarrare potuerit. Quorum fontium primum Cornelii chronica fuisse Sauppius probabile fecit, alterum Attici librum annalem fuisse aliqua probabilitate nobis videmur coniecisse.

IV.

E virorum doctorum consensione permultos Vellei locos aliorum scriptorum similes esse atque e festinatione auctoris, qua paucos modo ei licuisset fontes inspicere ratiocinati sumus (p. 10) e memoria eum multifarias aliorum scriptorum sententias narrationi suae adiecisse adeoque fructibus studiorum suorum historiam exornasse, atque e ratione, qua eas ille sententias aut commutavisset aut usurpasset, scriptoris ingenium nos posse aliquid cognoscere speravimus. Proinde, cum quaestionem de fontibus, quos inspexit, pro paucitate illarum reliquiarum nobis videamur iam confecisse, progrediamur ad eos locos disquirendos, quibus Vellius e memoria vel inscius vel conscius imitationis alios scriptores secutus sit. Atque quaestionibus de sententiis Vellei, quae nobis videntur ex aliis scriptoribus esse depromptae, praemittenda putavimus singula verba et res grammaticas, quae ante Velleium apud unum modo scriptorem existent, quamvis quam non haec demonstrent imitatorem esse Velleium haud ignoremus. Sed cum aliquid haec quoque quales ille scriptores legerit ostendant, attulimus, nisi quod in quaestione de Pompeio Trogo, qui quatenus sit a Justino excussus ambigitur, ea arbitrati sumus omittenda esse. In scriptorum, de quibus quidem dissereremus, delectu eam ingressi sumus rationem, ut, quorum vestigia in Velleio exstare homines docti fere consentiunt (v. supra p. 7.), de eis quaereremus, i. e. de Cicerone, Sallustio, Livio, Pompeio Trogo. Nonnulla etiam de poetis attulimus; at Krausii opinionem Graecos etiam nostrum imitatum esse non putavimus nobis esse respiciendam. Certe autem ex eo, quod tot scriptores collaudat, cum ne id quidem possit concludi nostrum eos omnes legisse sed veri sit similius, eorum enumerationem in fonte suo illum invenisse (v. s. p. 24), non consequitur, ut ita eorum ille fuerit peritus, ut eorum sententiis animum suum impleret adeoque posset eorum sententiis librum suum exornare.

Atque primum quidem ea congeramus vestigia, quae

videantur ostendere nonnullas Ciceronis sententias Velleium usurpasse.

Substantiva.

Appellatio 125,5 (i. q. nomen. *ad Att.* 5,20 *pro dom.* 50) commeatus 99,2 (i. q. venia, translatum a re militari. *Verr.* 5,43,111) communio 1,14,1 (i. q. communitas. *de leg.* 1,7, *pro Mil.* 37, *Tusc.* 5,2, *de rep.* 2,26, *pro Roscio Am.* 22) veneratio 41,3 (i. q. reverentia *de nat. d.* 1,17,45).

Verba.

Addicere 2,18,6 (i. q adtribuere. *pro Planc.* 39 *de fin,* 1,6) 25,4 (i. q. dedicare, *de leg.* 3,10). censere 2,7,2 (i. q. in censum deferre. *pro Flacco* 32 *Verr.* 2,18) colligere 1,9,6 . 2,7,5 . 86,2 (i. q. concludere. *de off.* 2,16 *ad Att.* 2,23). migrare de vita 1,11,7 (*de fin.* 1,19,26) sopire 89,3 . 125,3 (i. q. placare. *pro Cael.* 17,41).

Adverbia.

Difficile 63,3 (i. q. vix, *de inv.* 2,56).

Ciceronis sententias in Velleio latere possumus suspicari, cum in eadem re enarranda uterque scriptor eadem fere verba exhibet. Proinde, qui huc pertinent, singulos locos num a Velleio e Cicerone depromptos esse opinari nobis liceat quaeramus.

Sine dubio scriptor Ciceronem imitatus est.

pro Mur. 28,58 *bis consul fuerat P. Africanus et duos terrores imperii . . . deleverat.*	2,4,5 *post duos consulatus duosque triumphos et bis excisos terrores rei publicae . .*

Nam propter unam vocem *terrores* hic ab affectu ad res atque easdem res translatam vix crediderim ex se ipso Velleium hoc singulare laudationis genus hausisse, quo bis consulem bis quoque rem publicam servasse perpaucis verbis exprimitur. Quamquam diiudicari nequit utrum consulto, quod imitationem celare volebat, an forte scriptor singulas voces commutaverit.

Maior consensus verborum in eadem re enarranda est.

Phil. 8,8,23. *Popilius apud maiores nostros cum ad Antiochum regem legatus missus esset et verbis senatus*	1,10,1 *cum Antiochus - Ptolemaeum puerum Alexandriae obsideret, missus est ad eum legatus M. Popilius*

nuntiasset, ut ab Alexandrea discederet, quam obsidebat, cum tempus ille differret, virgula stantem circumscripsit dixitque se renuntiaturum senatui, nisi prius sibi respondisset quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione exiret.	*Laenas, qui iuberet incepto desistere, mandataque exposuit et regem deliberaturum se dicentem circumscripsit virgula iussitque prius responsum reddere, quam egrederetur finitae harenae circulo.*

Sed quamquam harum narrationum consensionem magnam esse negari non potest, tamen, si hoc loco imitationem Ciceronis in Vellei verbis latere contenderemus, vereor, ne nimis incaute iudicaremus. Nam eandem narrationem eisdem fere verbis invenimus quoque expressam apud

Justin. 34. 3,3 ed. Jeep. *prolatoque senatus decreto et tradito, cum cunctari eum videret consultationemque ad amicos referre, ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, ut et amicos caperet, consulere eos iubet, nec prius inde exire quam responsum senatui daret aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum. Adeoque haec austeritas [asperitas DEL].*	Liv. 44. 19 *Antiochus Syriae rex . . per honestam speciem maioris Ptolemaei reducendi in regnum bellum cum minore fratre eius . . gerens . . obsidione ipsam Alexandream terrebat.* 45. 12 *quibus perlectis cum se consideraturum adhibitis amicis quid faciendum sibi dixisset, Popilius pro cetera asperitate animi virga quam in manu gerebat circumscripsit regem ac 'priusquam hoc circulo excedas', inquit, 'redde responsum'.*

Quae cum ita sint, discerni nequit quem in hac re ennarranda Velleius secutus sit. Sed ne necesse quidem est eum aliquem horum scriptorum memoria tenuisse. Nam ut ex consensu scriptorum ex eodem eos fonte hausisse apparet, ita etiam summam illos fidem narrationi genuinae adhibuisse neque quidquam fere ex suo addidisse manifestum est. A prisco igitur scriptore composita haec enarratio videtur non raro a scriptoribus eisdem fere verbis esse repetita, ita ut Velleius in fonte quoque, quem inspiciebat, eam potuerit invenire. Quamquam ne hoc quidem est incredibile ita in usu fuisse illam enarrationem, ut sermone hominum usque ad Vellei tempora propagata ab illo cognosceretur[1]).

[1]) Itaque opinio, quam profert Leutschius *ind. schol. Gott. sem. hib.* 1859/60 p 6, Velleium Livii epitomis usum esse, cum narratiunculae de

Similiterque comparatum est

pro Mil. 3,8 *nisi vero existimatis dementem P. Africanum fuisse, quo cum a C. Carbone [tribuno plebis seditiose] in contione interrogaretur quid de Ti. Gracchi morte sentiret responderit iure caesum videri.* .	2,44 *hic, eum interrogante tribuno Carbone quid de Ti. Gracchi caede sentiret, respondit, si is occupandae reipublicae animum habuisset, iure caesum.*
Liv. ep. 59 . . . in qua dixit Ti. Gracchum iure caesum videri.	*de orat.* 2,25,106 *Carboni tribuno plebis. P. Africanus de Ti. Graccho interroganti responderat iure caesum videri.*

Ita etiam, quod dicit. 1,11,5 *vix ullius gentis, aetatis, ordinis hominem inveneris, cuius felicitatem fortunae Metelli compares* necesse non est scriptorem memoria tenuisse Cic. *Tusc.* 1,35, quo capite sane fortuna Metelli effertur, sed ita, ut usitatum fuisse fortunae Metelli exemplum appareat (cfr. apud Cic. *„Metelli sperat sibi quisque fortunam“*).

Sed gravius fere argumentum Velleium imitationem proferre quam in consensu verborum in eo esse positum arbitramur, quod uno loco ita rem enarrat, ut, cum verba plane diversa ponat, ceterum cum Cicerone congruat.

pro l. Man. 20,59 *cum ex vobis quaereret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid ei factum esset, in quo spem essetis habituri, cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce in ipso vos spem habituros esse dixistis.*	32. 1 *digna est memoria Q. Catuli cum auctoritas tum verecundia. Qui cum dissuadens legem in contione dixisset esse quidem praeclarum virum Cn. Pompeium, sed nimium iam liberae rei publicae neque omnia in uno reponenda adiecissetque: si quid huic acciderit, quem in eius locum substituetis? subclamavit universa contio, te, Q. Catule.*

Forte hanc verborum diversitatem exstitisse credi non potest, qua re hoc loco consulto Velleius videtur Ciceronem secutus esse; sed concedendum est, etsi hoc minus probabile est, fieri potuisse, ut uterque scriptor eundem haberet fontem, cuius verba uter immutarit decerni nequeat. — Itemque nulla

Antiocho rege et Popilio Laenate propositae colorem ex epitoma l. XLV duxerit, est refutanda.

dubitatione possumus suspicari Vellei verba deprompta esse e Cicerone in

Phil. 1,1,1 *Atheniensiumque renovari vetus exemplum; Graecum etiam verbum usurpari, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui praeclara tum oratio M. Antonii, egregia etiam voluntas, pax denique per eum et per liberos eius cum praestantissimis civibus confirmata est.*	58,2 ss. *consul Antonius . . . velut pacis auctor liberos suos obsides in capitolium misit — et illud decreti Atheniensium celeberrimi exemplum, relatum a Cicerone, oblivionis praeteritarum rerum, decreto patrum comprobatum est.*
Phil. 13,19 *quem ego inustum verissimis male dictorum notis tradam hominum memoriae sempiternae. cfr. Phil.* 1,13.	64,3 *aeternas Antonii Memoriae inussit notas.*

At huc non spectare arbitramur 2, 2, 1, quem locum Pernices depromptum putat e *Brut.* 27,103 vel *de har. resp.* 20. 43. His enim locis neque consensum verborum neque eam invenimus diversitatem, quae ut supra diximus videtur imitationi attribuenda esse, et in eo modo animadvertimus scriptores consentire, quod uterque eorum Ti. Gracchum propter foedus Numantinum infirmatum ira esse incensum dicit. Hac in re si quis imitationem videt, ne nimia videat admodum vereor.

Deinde imitationem possumus opinari, cum in moribus describendis vel in laudibus efferendis eisdem scriptores verbis utuntur. Huc spectat

pro Balb. 4,9 *qui tot habet triumphos quot orae sunt partesque terrarum. cfr. pro Sest.* 61. 129.	40. 4 *et quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriae suae.*

Eandem laudandi subtilitatem Velleium invenire atque Ciceronem credere difficile est.

Dubium videtur num in Vatinio vituperando (69,4 *deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii cfr. in Vatin.* 2,4; 16,39; *ad Att.* 2,9,2) et virtute Ciceronis laudanda (34,3 *per haec tempora M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit. — cfr. pro Planc.* 27,67 *quod ego huc a me ortus et per me nixus ascendi — Phil.* 6,6,17 *quem vos a se ortum hominibus nobilissimis — praetulistis)* scriptor ipsum Ciceronem sequatur. Sed certe nequimus Beiero concedere verba Ciceronis (apud. Augustin. *ep.* CXLIII [VII] 3) *nullum umquam verbum quod revocare vellet emisit* latere in 1,12,3 *qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit aut dixit ac sensit,* cum loco Ciceroniano quo de homine agatur incertum sit.

Notum est eam esse Vellei scribendi rationem, ut in narrationem inserat sententias permultas de litterarum artiumque condicione neque ea, quae ei memorabilia videantur de publicis et privatis moribus, praetermittat. Atque quamquam ipsum Velleium animo satis versatili fuisse existimamus, ut acute et eleganter quid sentiret explicaret, tamen arbitramur in diiudicandis artium litterarumque condicionibus atque describendis moribus aliorum iudicio varie eum commotum esse. Idcirco, cum etiam Ciceronem has res persaepe tractasse sciamus cumque ex locis supra collaudatis non alienum fuisse Velleium a studio Ciceronis appareat, videamus, utrum nonnunquam in eius generis iudiciis apud Velleium Ciceronis sententiae latere putandae sint necne.

Cum Socratem philosophosque comparat cum fonte flumineque ex eo defluente Velleius sequitur Ciceronem:

de or. 1,10,42 *urgerent praeterea philosophorum greges ab illo fonte et capite Socrate.*	1,16,4 *Philosophorum quoque ingenia, Socratico ore defluentia.*

Itemque cum Cicerone fere consentit in iudicio de Isocrate oratore proposito, nisi quod Velleius acrius iudicat:

Brut. 8,32. *Isocrates . . magnus orator . . quamquam intra . . parietes aluit eam gloriam, quam nemo meo quidem iudicio est postea consecutus . . . cum cetera melius quam superiores, tum primus intellexit etiam ss.*	1,16,5 *quid ante Isocratem, quid post eius eorumque discipulos clarum in oratoribus fuit?*

Atque etiam, ut illas sententias de brevi omnium artium mora proferret, excitatum eum fuisse studio Ciceronis crediderim, cum huius sententiae quamvis exiguum vestigium exstet in Tusculanis.

Tusc. 2,2,6 *atque oratorum quidem laus ita ducta ab humili venit ad summum, ut iam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat brevique tempore ad nihilum ventura videatur.*

1,17,6 — *natura quod summo studio petitum est, ascendit in summum difficilisque in perfecto mora est, naturaliterque quod, procedere non potest, recedit*[1]).

Itemque ea, quae dicit de artibus litterisque non ubique sed eisdem semper locis cultis, simillima sunt *Brut.* 13,50.

Brut. 13,50 *hoc autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum; quis enim aut Argivum oratorem aut Corinthium aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? Nisi quid de Epaminonda docto homine suspicari libet: Lacedaemonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem.*

1,18 *ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sim quam neminem Argivum Thebanum Lacedaemonium oratorem aut dum vixit auctoritate aut post mortem memoria dignum existimatum. Quae urbes et in alia talium studiorum fuere steriles, nisi Thebas unum os Pindari inluminaret. Nam Alcmana falso sibi vindicant.*

Dubium est num Velleius, cum 1,5,4 de Homero scriberet *quem si quis caecum genitum putat, omnibus sensibus orbus est* in animo habuerit Cic. *Tusc.* 5, 39, 114 *traditum est etiam Homerum caecum fuisse: at eius picturam, non poesin, videmus; . . . qui motus hominum, qui ferarum non ita depictus est, ut quae ipse non viderit nos ut videremus effecerit?* Quam fabulam haud scio an in fonte, quem inspexit, invenerit (v. Saupp. p. 145). Sed cum uterque scriptor hac artificiosa antithesi fabulam illam de caeco Homero propagatam reprehendat atque irrideat, hunc nobis locum putavimus adnotandum esse.

Quattuor locis, ubi de moribus scriptor dicit, haud scio an Ciceronem respiciat. Etenim 28,3 *ut, in qua civitate petulantis convicii iudicium histrioni et saltatori* [ita Vahlenus praef. in *Naev.* p. 8: *ex alto* MAP. Halmius Mommseni emendationem *ex albo* in textum recepit] *redditur, in ea iugulati civis publice constitueretur auctoramentum* et 66,3 *nihil, inquam,*

[1]) Locus Velleianus libro nostra aetate conscripto imitationi fuit, quod nisi testimoniis pro certo affirmaretur, vix credi posset. Nam Winckelmannus, homo ille artis peritissimus, Velleiano loco ad cogitationes de artis historia incitatus est. Cfr. Goethii *op.* (Cotta) 26 p. 22. Gervinus *hist. poet. litt. Germ.* ed. II. vol. 4. p. 435.

egisti mercedem caelestissimi oris et clarissimi capitis abscisi numerando auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam rei publicae tantique consulis inritando necem videtur vocem auctoramenti derivasse e Cic. *de off.* 1,42,150 *inliberales autem et sordidi quaestus mercennariorum omnium, quorum operae non quorum artes emuntur: est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis.* Nam cum auctoramentum apud Ciceronem contractus sit, quo quis se mercede pacta ad aliquid velut ad ludos gladiatorios obligat (Georges *de elocutione Vell.* p. 12), Velleius hac una voce posita [germ. „Henkerslohn"] iudicat de proscriptione, quod indicium eo etiam auget, quod summa iustitia in humillimos quoque civitatis homines semper esse consultum dicit.

Pro. Mur. 36 *odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.*

2,1,2 *publicam magnificentiam secuta privata luxuria est.*

Sententia Ciceronis commutata Velleius conqueritur mores vere Romanos dilapsos. Itemque 2,35,5 *quippe fortissime dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, proelio reddidit* [Catilina] ingeniose atque eleganter commutat Ciceronis sententiam haud inusitatam *Phil.* 10,10,20 *non est viri minimeque Romani, dubitare eum spiritum, quem naturae debeat, patriae reddere* ibid. 12,12,31 *o fortunata mors, quae naturae debita pro patria est potissimum reddita!*

Singulae sententiae (velut 2,41,2 *qui scribenti manum iniecit, et quamlibet festinantem in se morari cogit: pro Rosc. Com.* 16,46 *ipsa mihi veritas manum iniecit et paulisper consistere et commorari cogit.* 2,66,5 *vivit vivetque per omnem saeculorum memoriam: pro Marc.* 9,28 *illa, inquam, illa vita est tua, quae vigebit memoria saeculorum omnium)* num re vera e Cicerone sint depromptae minime diiudicari potest.

Sed certe eis, quae diximus, possumus ratiocinari Velleium in Ciceronis studio esse versatum neque non ingeniose illius sententias animo suo receptas commutasse. Imprimis eius illum studio arbitramur ad iudicia de hominibus, litteris, moribus esse excitatum, cum viderimus plerumque dubium esse num etiam in ipsa historia enarranda eum imitatus sit.

Sed iam quo modo *Sallustius* Velleio fuerit imitationi quaeramus.

Substantiva.

Claritudo 2,17,2; 11,3; 130,1 (translate i. q. dignitas. *Jug.* 2 extr. ibid. 7 cfr. Kritz. ad *Cat.* 17,2) munificentia 41,8 81,3. 126,4. 130,1 (Sall. *Jug.* 111).

Verba.

Affectare 39,1 (i. q. sibi conciliare studere *Jug.* 66,1) parum habere 76,4 (i. q. non satis esse *Jug.* 31,9) genitus alicui rei 102,1 (*hist.* 3,65) parentes 108,2 (i. q. qui parent *Jug.* 102,7. 3,2 cfr. Kritz. ad *Cat.* 6,5 *Jug.* 87,2) cursu tendere 70,2 (*Jug.* 91,4) transgressus 2,7,2 (i. q. excedens. *hist. inc.* 46).

Adiectiva.

Haud absurdum 77,1. 83,3 (i. q. optimum *Cat.* 25,5) cruentus 71,2. 52,3 (significanter usurpatum de bello et die ut *Cat.* 47,2. 58,21 de anno et victoria).

Res ad structuram grammaticalem spectantes.

Genetivus obiectivus, qui vocatur, dependet a voce iniuriae 1,8,4 iniuriae avi 1,1,1 iniuriae fratris (*Jug.* 14,19 iniuriae sociorum *Cat.* 52,6 iniuriae sociorum) Genetivus pendens ab adiectivis affectum significantibus Tacito imprimis usitatus etiam in Velleio invenitur, quem in hac ratione syntactica iam Sallustius antecessit (velut 2,11,1 immodicus gloriae (*hist.* 1,114) laetus animi 2,93,2 (*hist.* 2,91). — Morawskius (*Philol.* XXXV. p. 715) commemorat formam 3. pers. plur. perf. act. in *ere* desinentem, quae a Sallustio saepius usurpetur, sexagies inveniri apud Velleium. Georges (p. 4) adnotat saepius verbis frequentativis, quippe quae pleniorem sonum in cadendo reddant, uti Velleium, quocum cfr. Cortium ad *Cat.* 2,1.

Velleium imitatione uti, ut iam supra diximus, tum credimus nos posse suspicari, cum in eadem re enarranda eadem, quae in fonte inveniuntur, verba exhibet. Ita, cum de interitu Carthaginis liberae rei publicae pernicioso cap. 2,1 disserat, certe non Sall. *hist.* 1,10 vel *Cat.* cap. XI. XII. XIII. quibus locis de eadem re disputatur, sed

hist. 1,11 et 12 in animo habebat, quippe quo loco fere eadem, quae in Velleio, morum labentium cum motu praecipiti comparatio exstet. Eodemque enuntiato, ut iam antea 1,12,6, locum Sallustianum *Cat.* 10,1 imitatur.

Cat. 10,1 *Carthago aemula imperi Romani.*	1,12,6 *Romani imperii Carthago aemula.*
Hist. 1,12. *Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit, bella civilia orta sunt . . . ex quo tempore maiorum mores non paullatim ut antea sed torrentis modo praecipitati.*	2,1,1 *quippe remoto Carthaginis metu sublataque imperii aemula non gradu sed praecipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum.*

Non alienum fuisse a Romanis Carthaginem aemulam imperii esse putare indicant velut Cic. *pro Balb.* 34 *de l. agr.* 2,87; sed cum ea forma nemo nisi Sallustius ante Velleium hanc sententiam protulerit, non esse dubium arbitramur, quin hoc loco scriptor id, quod studio Sallustii memoria tenebat, posuerit. — Similiter, cum 2,11,2 scriptor in eadem narratione, quae exstat apud Sall. *Jug.* 64,1, idem atque ille iudicat de nobilitatis superbia, veri est simillimum hoc illum loco Sallustium respicere:

Jug. 64,1 *Marius — ab Metello — missionem rogat. Cui quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemptor animus et superbia, commune nobilitatis malum.*	2,11,2 *Marius criminatus Metelli lentitudinem, trahentis iam in tertium annum bellum, et naturalem nobilitatis superbiam, effecit, ut, cum commeatu petito Romam venisset . .*

Initio cap. 35, si Madvigii loci corrupti emendationem probamus, idem fere simile videmus usurpare Velleium ad Catonis laudes efferendas atque Sallustium in eadem re enarranda, neque non, cum deinde mores Catonis depingat, eundem locum Sallustianum respicere.

Cat. 53,1 *Postquam Cato assedit . . virtutem animi ad coelum ferunt . . Cato clarus atque magnus habetur.* 54,5 *esse quam videri bonus malebat.*	35,1. *Ille senatus dies . . virtutem M. Catonis . . in altissimo culmine locavit . . qui numquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non potuerat.*

At vix huc adnumeranda est commemoratio de odio Catuli in Caesarem 43,3 *et ante praeturam victus in maximi pontificatus petitione Q. Catulus, omnium confessione senatus*

princeps quo cum loco congruit *Cat.* 49,2 *Catulus ex petitione pontificatus odio incensus, quod extrema aetate, maxumis honoribus usus, ab adulescentulo Caesare victus discesserat.* Hic enim, quamquam et de causa odii Catuli et de eius moribus scriptores consentiunt, tamen non satis specie verborum persuaderi nobis potest Sallustii vestigia latere. Eoque minor videtur probabilitas esse e Sallustio eum hanc narrationem deprompsisse, quod eas res notissimas dicit esse.

In moribus describendis Velleius putandus est Sallustium imitatum esse, cum videmus eadem illum atque Sallustium vel simili sententiarum antithesi in depingendo uti. Primum huc adnumerem

Cat. 23,1 ss. *Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco . . . Huic homini non minor vanitas inerat quam audacia; neque reticere, quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare, prorsus neque dicere neque facere quicquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo . .*	45,1 *per idem tempus P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax, quique neque dicendi neque faciendi ullum nisi quem vellet posset modum, malorum propositorum executor acerrimus, infamis etiam sororis stupro.*

Eundem hic habemus in describendo ordinem: genus nobile, audaciam, hominem omnem dicendi et faciendi modum excedentem, stuprum. Itaque puto ne eo quidem, quod non de eodem viro scriptores agunt, nos impediri quin hoc loco imitationem inesse arbitremur.

126,2 cum describit noster ad Tiberium laudibus efferendum felicem rei publicae statum, videtur respicere Sallustium, qui in oratione Catonis *Cat.* 52 inserta integritatem atque mores maiorum dilapsos esse et ambitionem plus valere virtute dolet. Nam veluti perstringens noster illum locum atque verbis fere Sallustianis usus mores a Tiberio esse redintegratos et ambitione plus valere virtutem exclamat:

Cat. 52,21 ss. *alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt, domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque lubidine obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam . . omnia virtutis praemia ambitio possidet.*	126,2 ss. *revocata in forum fides . . iustitia, aequitas, industria civitati redditae . . recte faciendi omnibus aut incussa voluntas aut imposita necessitas . . superatur aequitate gratia, ambitio virtute.*

His certe locis quamquam non de eisdem personis agit, Velleium Sallustium in animo habuisse possumus concludere. Sed prorsus ineptum esset, si omnes sententias, quae aliquam habent cum Sallustianis similitudinem, ex illo scriptore censeremus depromptas esse. Ita comparatum est 33,3 *neque eo viro quisquam aut alia omnia minus aut gloriam magis concupiit,* quem locum nonnulli homines docti voluerunt emanasse e Sall. *hist.* 2,35 *modestus ad omnia alia nisi ad dominationem.* Sed licet hic locus inde depromptus sit, tamen nequimus ratiocinari, Sallustium illo loco de Pompeio sicuti Velleium dicere, cum viderimus Velleium non semper Sallustianis sententiis ad eos, quos Sallustius ita depingit, homines describendos usum fuisse, sed etiam ad aliorum mores illustrandos. Hoc addere volui Kritzii rationibus ad locum Sall. adnotatis. cfr. quae diximus de Beieri opinione supra p. 33.

Aeque ac Velleium permultas etiam Sallustium de moribus sententias narrationi inseruisse notum est, eoque cautius nobis iudicandum est, cum quae ex his nostrum deprompsisse veri simile sit quaerimus. Probabilissimum mihi videtur scriptorem esse imitatum locos eorum capitum, quae supra in Vellei memoria haesisse nobis videmur demonstrasse. Huc spectant orationes, quae de Catilina apud Sallustium *Cat.* 50 ss. exstant. Ita comparatum est

Cat. 51,27. *Omnia mala exempla ex bonis orta sunt.* 36. *ubi hoc exemplo per senati decretum consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet aut quis moderabitur?*	2,3,4 *non enim ibi consistunt exempla, unde coeperunt . . ubi semel recto deerratum est, in praeceps pervenitur.*

Hic igitur sententiam, quae apud Sallustium ad peculiarem quandam rem pertinet, Velleius communem reddidit, similiterque cogitationem 30,3 abstraxit ex *Cat.* 52,8, nisi quod hic opposuit communem sententiam peculiari apud Sallustium prolatae:

Cat. 52,8 *qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam.*	30,3 *familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere.*

Paullo etiam probabilius tum putandum est Sallustii nostrum meminisse, cum talem sententiam pronuntiat, qualem saepius a Sallustio usurpatam esse invenimus. Ita comparatum est

Cat. 5,7 *agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris.* Cfr. 16,4. 28,4. 37,3.	25,1. *Sed iis, quibus et res* [*res* add. Ruhnken.] *pessima et immodica cupiditas erat, non poterat pax placere.*

Uno loco propterea veri est simile Sallustii sententiam exhiberi, quod noster verbis *illi antiqui . . . hoc senserunt* notam quondam sententiam putandus est respicere eamque nos invenimus apud Sallustium:

Jug. 85,15 ss. *existumo . . fortissimum quemque generosissimum . . .* 17 *quodsi iure me despiciunt, faciant idem maioribus suis, quibus uti mihi ex virtute nobilitas coepit.*	128,1 ss. *neque novus hic mos senatus populique Romani est putandi quod optimum sit esse nobilissimum . . illi antiqui . . profecto hoc senserunt in cuiuscumque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum.*

Quo cum loco conferas

Cat. 9,2 *cives cum civibus de virtute certabant.*	26,2 *in qua civitate semper virtutibus certatum est.*

Propter singularem antithesin, quae fere eadem in utroque scriptore exstat, huc asserendum puto

hist. 1,49,8 *eo processit, ut nihil gloriosum nisi tutum aestumet.*	115,5 *semperque visum est gloriosissimum, quod esset tutissimum.*

Quae sententia apud Sallustium ut Sullae vituperationi, apud Velleium, ut Tiberio laudi sit, posita est.

Similiterque comparata sunt

hist. 1,56,8 *quin praeter idoneum ducem nihil abest ad subvertundum imperium.*	125,2 *defuitque qui contra rem publicam duceret, non qui sequerentur.*
Jug. 31,24 *Potestne in tam diversis mentibus pax aut amicitia esse?*	45,1 *quid inter tam dissimiles amicum esse potest?*
Jug. 14,15 *pauci, quibus relicta est anima . . . morte graviorem vitam exigunt.* 22 *quamquam tibi . . vita erepta est, tamen laetandum magis quam dolendum puto casum tuum.*	66,4 *rapuisti tu M. Ciceroni — vitam miseriorem te principe quam sub te triumviro mortem. — At cfr. Cic. Brut.* § 4.

Verbis 42,2 *multosque mortales cepit* non puto scriptorem Sallustium imitatum esse *Jug.* 20,3 *multos mortalis — capit,* quamquam verbotenus sententiae congruunt neque ullo alio loco Velleius *mortalis* adiectivo pro stubstantivo utitur. Etenim tum modo credibile est sententiam aliquam alius scriptoris eius memoriae inhaesisse, si quid singulare in se haberet. Sed in hac sententia quid singulare? Alia de causa refutandam arbitror eorum opinionem, qui in 119,2 *more pecudum trucidaverat* suspicantur latere *Cat.* 58,21 *sicuti pecora trucidemini.* Nam haec sententia, quam saepius invenimus (Sall. *hist.* 3,81,6 Suet. *Aug.* 15) tantum habet colorem proverbialem, ut ex Sallustio eam emanasse nequeamus contendere[1]). Eademque de causa negamus Velleium 2,33,4 *quem ob iniectas molis mari et receptum suffossis montibus in terras mare haud infacete Magnus Pompeius Xerxen togatum vocare assueverat* scribentum respexisse Sall. *Cat.* 13,1 *nam quid ea memorem, quae nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt, a privatis compluribus subvorsos montis, maria constructa esse* aut *Cat.* 20,11 *quis tolerare potest, illis divitias superare, quas profundat in exstruendo mari et montibus coaequandis,* cum hoc luxuriae exemplum usitatum fuisse videamus e Tib. 2,3,45 *claudit et indomitum moles mare* et Hor. *carm.* 3,1,33 *contracta pisces aequora sentiunt iactis in altum montibus.*

Quae cum ita sint, dilucidum esse arbitramur, non modo in studio Sallustii Velleium versatum esse sed etiam orationes aliasque eius libri partes in memoria habuisse.

De Vellei cum **L i v i o** consensu haec habemus, quae proferamus:

S u b s t a n t i v a.

Coercitio 47,3 . 121,1 (translate de vi inhibendi et retardandi Liv. 4,53,7 . 26,36,12) cogitatio 1,10,1 (i. q. deliberatio.

---

[1]) In mentem mihi venit loci Catulliani 25,2 *mollior . . . imula auricilla,* quibus verbis, cum similia exstent apud Cicer. *ad Q. fr.* 2,13 (15^a), 4 *auricula infima . . . molliorem* nonnulli homines docti de tempore carminis Catullani sibi visi sunt posse ratiocinari, certe iniuria, cum illa verba videantur proverbialem vim habere.

Liv. 26,33 . 34,59 . 40,5 . saepius). Romanae 75,3 (i. q. Cives Romanae. Liv. 1,26,4) ultio 2,7,6 . 65,1 . 125,3 (Liv. 7,30,14 . 31,24,1) violatio 2,1,5 (Liv. 29,8,11 . 31,12,5).

Verba.

Adornare 122,2 (i. q. ornatum adicere Liv. 1,20) agere reum 45,1 (i. q. accusare Liv. 45,37,8 . 24,25,1) auctorare sibi mortem 30,1 (i. q. mortem quasi mercede sibi quaerere et arcessere Liv. 37,10,8) ciere pugnam 2,6,6 (Liv. 1,12,2 . 2,47,1) elanguescere 111,4 (i. q. dilabi Liv. 35,45,7) exsolvere poenas 88,3 (Liv. 26,40,15) habere mentionem 62,5 (i. q. ment. facere Liv. 38,56 ep. 119) inescare 2,13,2 (translate i. q. cibo illicere Liv. 41,23) insidiari temporibus 21,2 (i. e. germ. „die Zeit abpassen“ Liv. 23,35 insidiari tempori) interrogare sententiam 35,3 (Liv. 36,7,1) nitere 1,17,1 . 2,9,1 (i. q. florere Liv. 3,12,5) postferre aliquid alicui rei 69,3 (Liv. 3,64,3) praevalere 108,2 (Liv. praef. 4).

Adiectiva.

Inexpugnabilis 115,4 (de loco, qui capi non potest, ut Liv. 33,17,9, saepius) inexsuperabilis 32,4 . 120,2 (Liv. 37,53,11—5,34).

Res ad structuram grammaticalem spectantes.

In gratiam alicuius 2,18,3 . 41,2 (cfr. Kuehnast. synt. L. p. 381) variari 51,3 (impersonaliter positum, ut Liv. 7,22,10 . 22,60,3) par ad 121,2 (Liv. 1,5,7 . 26,16,3).

Ut supra primum quaeramus qui loci in simili causa similem verborum speciem praebeant proptereaque e Livio videntur emanasse. Praeter eum locum, quem iam supra p. 30 collaudavimus quemque num sit fons Vellei propter similes apud alios scriptores locos diiudicare nobis non licere diximus, huc spectat

Liv. 1,8,5 *locum, qui nunc descendentibus inter duos lucos est, asylum aperit. Consilium deinde viribus parat. Centum creat senatores . . patres certe ab honore, patriciique progenies eorum appellati.*	1,8,5 *eam asylo facto inter duos lucos auxit. Hic centum homines electos appellatosque patres instar habuit consilii publici. Hanc originem nomen patriciorum habet.*

Non est dubium, quin haec narratio apud alios quoque scriptores Romanos exstiterit. Qua re non satis certis

argumentis contendere possumus ex ipso Livio scriptorem eam hausisse. Eademque de causa opinioni, 1,10,3—5 emanasse e Livio 45,40 et 41, assentiri nequimus, quod haec narratio eis adnumeranda est, quas, cum optima eis liberae rei publicae tempora describerentur, a multis historicis usurpatas esse arbitramur. Adde, quod discrimen quoddam interest inter Livium et Velleium, cum Livius commemoret Paullum et ante triumphum more ceterorum imperatorum de rebus suis gestis et post triumphum in contione de privata sua fortuna orationem habuisse, quam in contione habitam orationem exhibet, Velleius autem nonnulla, quae in illa oratione apud Livium exstant, Paullum ante triumphum locutum esse dicit (cfr. praeterea Pernices p. 12).

Liv. 45. 40 *duobus e filiis — minor . . . ante triumphum . . . maior . . . post triumphum decessit; quos praetextatos cursu vehi cum patre . . . oportuerat. Contione . . cum de suis rebus gestis more ceterorum imperatorum disseruisset, memorabilis eius oratio . . fuit.* 41. *Optavi, ut cum ex summo retro volvi fortuna consuesset, mutationem eius domus mea potius quam res publica sentiret . . . duos . . tamquam ex magna progenie liberorum in adoptionem datos Cornelia et Fabia gens habent.*	1,10,3 ss. *unum P. Scipioni . . . in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo. Duos minores natu praetextatos, quo tempore victoriam adeptus est, habuit. Is cum in contione extra urbem more maiorum ante triumphi diem ordinem actorum suorum commemoraret . . precatus est, ut si quis eorum invideret operibus ac fortunae suae, in ipsum potius saevirent quam in rem publicam . . alterum ex suis . . liberis ante paucos triumphi alterum post pauciores amisit dies.*

Mihi videtur hoc loco Velleius genuinam narratiunculam maiore fide secutus esse quam Livius, cum ille vaticinatum esse quodam modo Paullum fortunas suas commemoret, quod sane vetustatem redolet; Livius post mortem demum filiorum eum dicentem facit sperare sese defunctam esse fortunam publicam sua tam insigni calamitate, eundemque fatentem optavisse sese ut sua domus mutationem fortunae sentiret, quo additamento Livius haud scio an illam vetustam de vaticinatione narrationem commutaverit atque ad rationem magis adaequaverit. Quae cum ita sint. fortasse ne loco quidem 1,9,5 et 6 Velleius imitatus est Liv. 45,43 et 35, quamquam

hic in eadem narratione eadem de invidia fortunae adhaerente sententia invenitur. Ea enim sententia fortasse iam in illa genuina narratiuncula exstabat, quam de Paulli calamitate propagatam fuisse suspicabamur.

Liv. 45. 43 *L. Anicius Quirinalibus triumphavit de rege Gentio Illyriisque . . ante currum ducti Gentius rex . .* 35 *intacta invidia media sunt, ad summa ferme tendit. Nec de Anicii nec de Octavii triumpho dubitatum est: Paullum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit.*	1,9,5 *et* 6 *quo anno et Octavii praetoris navalis et Anicii regem Illyriorum Gentium ante currum agentis triumphi fuere celebres. Quam sit assidue eminentis fortunae comes invidia altissimisque adhaereat, etiam hoc colligi potest, quod cum Anicii Octaviique triumphum nemo interpellaret, fuere qui Paulli impedire obniterentur.*

Non diiudicaverim, utrum in enuntiatis levioris momenti, quae nomnumquam apud Velleium paene verbotenus cum Livii congruentes exstant, Livium a nostro excussum esse nobis suspicandum sit necne. Nam hi omnes loci ita comparati sunt, ut non solum apud Livium sed etiam apud alios multos scriptores exstitisse putandi sint. Huc adnumerem

Liv. 41,27 *Fulvii, qui frater germanus, et ut Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat.*	1,10,5 *Fulvii censoris frater et quidem consors, Cn. Fulvius . .*
Liv. 30,45 *primus certe hic* [Africanus] *imperator nomine victae a se gentis est nobilitatus.*	1,13,2 *uterque* [Scipio et Mummius] *imperator devictae a se gentis nomine honoratus.*
Liv. 29,14 *P. Scipionem . . iudicaverunt . . virum bonorum optimum esse.*	2,3,1 *P. Scipio . . . optimus vir a senatu iudicatus . .*
Liv. 1,19,3 *bis post Numae regnum clausus fuit, semel T. Manlio consule . . iterum . . imperatore Caesare Augusto.*	38,3 *semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio consule, tertio Augusto principe. — Janus geminus clausus dedit.*

Semel propter eandem in eadem fere re antithesin locum depromptum esse opinamur:

Liv. 37,6,6 *in omnibus se maiora clementiae benignitatisque quam virtutis bellicae monumenta reliquisse* (Afric. maior).	1,12,5 *fecitque suae virtutis monumentum quod fuerat, avi eius clementiae.*

Sed 47,1 *pugnatum saepe derecta acie, saepe agminibus, saepe eruptionibus,* certe non est imitatio l. Liv. 10, 45, 12

saepe in acie, saepe in agmine, saepe circa ipsam urbem adversus eruptiones hostium pugnatum. — Similitudo verborum haud scio an ita declaranda sit, ut uterque scriptor verba e re militari deprompta posuerit.

Itaque cum uno modo loco (1,12,5: Liv. 37,6,6) aliqua probabilitate possimus opinari Livii vestigia in Vellei libro latere, num Velleius Livium imitatus sit atque quatenus illum secutus sit vix potest diiudicari.

Nonnulla etiam nobis liceat addere de eorum opinione, qui Velleium e Pompeio Trogo hausisse voluerunt. Quo de scriptore, qui nobis epitomis modo servatus sit, quaestionem difficillimam esse eoque cautius instituendam cum appareat, miror quod nonnulli homines docti illum Velleio imitationi fuisse contenderunt. cum unus modo locus, ut video, eis rationibus videatur sufficere, quas secuti imitationem nos posse suspicari supra saepius diximus. Sed etiam hunc (Justin. 34,3) non ita comparatum esse, ut certis argumentis eum Velleio imitationi fuisse obtineamus, p. 30. ostendimus.

Sed fortasse aliquis putaverit eandem antithesin singularem inesse in

Justin. 3,2,7 *Spartanis leges instituit, non inventione earum magis quam exemplo clarior: siquidem nihil lege ulla in alios sanxit, cuius non ipse primus in se documentum daret.*	1,6,3. *Ea aetate clarissimus Graii nominis Lycurgus Lacedaemonius, vir generis regii, fuit severissimarum iustissimarumque legum auctor et disciplinae convenientissimae vir* [ita P. *viris* Lipsius em.].

Sane, si Rhenanianae editionis lectionem sequemur, utrumque scriptorem opponere Lycurgi erga se et in alios severitatem concedendum est. Sed cum etadiectivum *conveniens* obiectum exigere videatur et vix ad latinum sermonem quadret *vir disciplinae*, Lipsii emendatio videtur praeferenda esse, qua emendatione antithesis nulla fit. — Ad eorum opinionem refutandam, qui 2,4,1 *victus a M. Perpenna, ductusque in triumpho, set a M'. Aquilio, capite poenas dedit* emanasse ex Just. 36,4,10. *Quod aegre ferens successor eius M' Aquilius consul ad eripiendum Aristonicum Perpennae, veluti sui potius triumphi munus esse deberet, festinata velocitate contendit* nullis egemus argumentis. Haec enim atque alia

eiusmodi si quis putet imitationem esse, cum nullum eius rei argumentum proferre possit, refutari non possunt (v. Pernices p. 13, quem ne falso interpretetur hunc locum admodum vereor).

Itaque Pompeium Trogum Velleio imitationi fuisse negamus.

Non alienam puto esse ab huius dissertationis indole eorum, quae ante Velleium apud poetas solum exstant, verborum collectionem. Immo vero, cum supra nobis videretur non necesse esse ea, quae singula apud Velleium aliumque quendam scriptorem congruerent, Velleium ab aliis scriptoribus deprompsisse, elocutionis Vellei cum poetarum comparatione apparere puto, quatenus Velleius in poetarum libellis versatus eorum, si non peculiarem, at communem rationem sequatur dicendi cogitandique.

Proinde congeramus, ut supra fecimus, quae in singulis verbis congruentia invenimus.

Substantiva

profectus 1,16,2 (i. q. progressus Ov. *Met.* 9,50 *Pont.* 3,9,40).

Verba.

Assuescere 79,1 (i. q. assuefacere. Hor. *Sat.* 1,2,109) autumare 1,6,4 (Ter. *Heaut prol.* 18 Hor. *Sat.* 2,3,43. Catull. 44,2 . inc. auct. ap. Cic. *or.* 49,166) erudire 59.4 (translate ut Ov. *am.* 1,14 . 30 *rem. am.* 690 *Met.* 8,215) eruere 1,13,1 . 38,2 . 27,2 (i q. destruere Verg. *Aen.* 2,611) imputare 23,4 (i. q. adscribere (in malam partem) Ov. *met.* 2,400 . 15,470) refulgere 103,5 (i. q. renasci Prop. 3,18,8).

Adiectiva et Participia.

Augustus 126,3 (i. q. ad Augustum pertinens vel ad eius successores. cfr. 92,2. Ov. *Pont.* 2,2.76 . 1,2,117 . saepius) auspicatus 79,2 (i. q. faustus. Catull. 45 . 25) bellicus 38,2 (i. q. bellicosus Ov. *fast.* 2,814 *Met* 4,754 . saepius) collisus 52,3 (translate, ut Hor. *ep.* 1,2,7) ineluctabilis 57,3 (Verg. *Aen.* 2.324 . 8,334) interritus 70,2 (i. q. non territus Verg. *Aen.* 11 . 737. Ov. *Met* 8,318 *her.* 9,76) rebellis 90,1 (Verg. *Aen.* 12,185 . 6,858) superi 48,2 (i. q. viventes. Verg. *Aen.* 6,128).

Ut simul Censorini et Lollii mortem commemoraret, Lachmannus opusc. 2. p. 100) putavit Velleium Horatii carm. IV, 8 et 9 commotum esse.

Praeterea cum nihil apud poetas inveniamus, quod imitationi fuisse Velleio putandum sit, iam usque ad finem huius dissertationis progressi sumus. Neque quidquam ad hanc quaestionem spectans nobis videmur omisisse, nisi quod nonnullas Krâusii imprimis et Ruhnkenii adnotationes, quibus homines illi iniuria videntur imitationem suspicari, silentio nos posse praeterire putavimus. Nam eos modo opertuit locos nos proferre, quibus vel certa vel dubia nobis videretur imitatio esse, nonnumquam modo, quo magis quam vim atque rationem nos sequeremur eluceret, eos afferre, quibus imitationem inesse homines docti iniuria putarent.

Ex eis autem, quae diximus imitationem Vellei demonstrare, puto apparere, Velleium fuisse animo maxime versatili atque non indocto. Ingeniosissime incuriosus historias conscribere incipit nullis auxiliis nisi quod nonnullos libellos inspicit, quorum temporum rationem ut aequam atque congruentem faciat minime studet; atque initio difficultate insueti laboris, ut videtur, oppressus. postquam aliquam scribendi facilitatem nactus est, persaepe lectori atque sibi promittit, aliud se atque iustius volumen de iis rebus, quas breviter modo conscribat, compositurum esse, qua re festinare sibi liceat, nimirum quod homo est occupatissimus. — Peritissimum eum fuisse litterarum neque ex opere eius apparet neque est in homine, qui paene totam vitam suam in castris degerit, credibile. Sed in eis scriptoribus, quos certe legit, Sallustio et Cicerone, docili versatus est animo. Multos eorem locos memoria tenet atque inserit historiae suae, sed numquam ita, ut nihil commutet. Maiore est ingenio quam ut scribae more aliquid quasi e memoria describat. E Cicerone videtur singulares cogitationes deprompsisse, quas in legendo animadversas diu secum reputaverat, easque paene inscius imitationis prodere; e Sallustio maiores nonnullos locos conscius imitandi sed eosdem ingeniose commutatos exhibet, quas haud scio an adulescens a rhetoribus didicerit (Morawskius *Philol.* XXXV p. 715).

TYPIS EXPRESSIT GEORGIUS CHASTÉ, BEROLINI.